

כט' יוזה

Ex consensu Amplissimis Fac. Phil.

Moderatore

VIRO PLURIMIUM REV. & PRÆCLARISSIMO

DN. JOH. HAARTMAN,

Phil. Theor. Prof. Reg. & Ord.

Pro Corolla Magisterii Obtinenda,

מלכי יהורה

Ad publicum omnium bonorum Examen in
æde Minervæ, quæ Aboæ est, Max. ad diem 27 Jun.
Anno MDCCXXIV.

Modeste defert

Alumnus Reginus.

CAROLUS STÅLHOFS / M. F. V. S.

ABOÆ,

Excud; E. M. FLODSTRÖM, Reg. Acad. Typogr;

H^c Jacob v. Engeström

Dag Bläckfj.

SACRATISSIMÆ R:Æ M:TIS

MAXIMÆ FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO

DOMINO

DAVIDI

S. S. Theologiae DOCTORI

Consumatissimo,

Dioecesis Vexionensis EPISCOPO

Eminentissimo,

Ven. Consistorii PRÆSIDI

Gravissimo,

Gymnasiorum & Scholarum EPHORO

Accuratisissimo,

MÆCENATI

Ac post DEum Fortunarum suarum

PATRONO SUMMO!

IN perpetuæ subjectionis signum consecrat has pagellas,

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS TUÆ

Cliens humilimus

C. Stålholz / M. F.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO
REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO

D: N JOHANNI
GEZELIO,

Dioecesis Borgoënsis EPISCOPO

Amplissimo,

Ven. Consistorii PRÆSIDI

Gravissimo,

Gymnasi Regii & Scholarum EPHORO

Attentissimo,

PATRONO MAXIMO,

Hanc suam Gradualem Dissertationem, in devotissimi
animi pignus, offert

NOMINIS TUI
REVERENDISS. DOMINE EPISCOPE,

Cultor humilimus
C. Stalhöf. M. F.

FIDE IN REGEM & MERITIS IN PATRIAM
VIRO PRÆCELLENTI,
NOBILISSIMO & GENEROSI DOMINO

DN. CLAUDIO

GÄRSKJÖLD

Supremi Regii Dicasterii, in Magno Ducatu Finlandia
ADSESSORI Longe Meritissimo,

PATRONO & PROMOTORI;

Ad cineres Colendo,

Hæc Dissertatio Gradualis reverentia qua par
est, consecratur.

Handelmannen i Stockholm/
Edel och Högachtad

Ger. OLOF APPELROS

Min gunstiga Gynnare!

Frör det myckna besvär och ständiga benägenhet/ Hög-
achtad Herr Handelmannen mig städze bewijst/
Dedieeras honom/ detta ringa Wärct Om de
Judiska Konungar / med all trogen wälfärds
tillöftan;

Af

C. Stålhd.



§. I.

Postquam omnes mo-

ras dimittere, gentemque Israëliticam durissimi servi jugo solvere cogeretur Rex Ægyptiorum Pharao, hæc in promissam stirpi suæ terram commigratura, per deserta Arabiæ petrææ iter facere incepit, peculiaremque rem publicam illico sibi constituit. Quam per aliquod *núcleo* sive summam potestatem gubernari necesse omnino erat, si civili ratione etiam commode inter se vivere vellet. Quod vero huic singularis fuerit prorsus reipublicæ forma, sub Mose & Josua Dicibus; Othoniele, Ehudo, Baracho, Gideone, Abimelecho, Thola, Jairo, Jephtha, Ebzane, Elone, Abdone, Simfone, Eli & Samuele Judicibus, quæ inter alias gentes, non obtinuit nec obtinebit unquam, facile esset demonstratu. Inter summam quippe potestatem quæ gen-

A

gentem I^rael his temporibus gubernavit, & quæ ceteras gubernat, magnum est discrimen; nam licet unaquaque Respublica singulari ratione dependeat a D^EO, juxta illud Apostoli: ἡ γὰρ ἵσιν ἐξοίκια εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ Rom. 13. v. 1. Hanc tamen D^Eus singularius & quidem maximam partem immediate sibi ipsi servavit dirigendam. Quapropter Flavius Josephus hujusmodi gentis suæ regimen, divinum appellat, Lib. 1. Cont. App. Εἰ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ Ιάϊς ὅλιγων δυναστίαις, ἀλλα δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέλεγχον Τὸν ἐξοίκιαν Τῶν πολιθευμάτων. Οἱ δὲ ἡγεμοὶ νομοθέτης εἰς μὲν τέτανταν ἐδοίχευν ἀπειδεύ, οἱ δὲ τοῖς ἑπτακαὶ Βισαρίους Τὸν λόγον, Θεοκρατίαις ἀπεῖπεν. Θεῶν μάντεις μάρτιον Τὸν ἀρχὴν καὶ Τὸν κράτος ἀναθείσ, καὶ πέισας εἰς ἐκεῖνον ἄπαντας ἀφορᾶν, ὡς τοῖς μὲν ἀπάντων οὐτα τῶν ἀγαθῶν, κανήσει πάσιν ἀνθρώποις παρέχοντα καὶ idem. h. e. „ut vertit Sigismundus Gelenius: Alii siquidem Monarchis, alii vero paucis, alii vero populo potestatem reipublicæ commilere. Noster vero Legislator nihil horum intendens, veluti si quis hoc dicendo mensuram transcendat verbi, Divinam rempublicam declaravit: „D^EO principaliter conversationem nostram atque potestatem Eccellenter assignans; & satis faciens eum cunctos inspicere, tamquam causam bonorum omnium universis hominibus existentem. Θεοκρατίαι itaque Josephus remp. Hebræorum nova voce appellat, qua inusitatam regiminis formam, hic conspicuam, haud inconvenienter exprimere possemus. Imprimis, cum in republ. Hebræorum, tria illa Politicorum, penes D^Eum ipsum, non vero apud homines fuisse ostendere leve esset; scilicet I. Potestatem condendi leges, etiam illas omnes, quibus gens Hebræa, ad politicum bonum

num fruendum, gubernaretur. 2. *Belli gerendi arbitrium.*
 3. *Magistratus constituendi jus;* neque enim duces vel ju-
 dices populi Judaici pleno vel hereditario jure sicut
 Reges, imperabant, sed extraordinariis dei iussis, aut
 populi consensu potestatem ordiebantur & imperabant,
 adeo ut hoc tempore, non aliis populi rex, quam
 DEus ipse fuisse dicatur, Jud. 8: 15. I. Sam. 8: 7. ut
 Seckendorf, vel Bœclerus, vel quisquis historiæ Go-
 thanæ fuerit auctor, recte argumentatur.

§. 2.

Sed ad scopum, ut proprius statim accedamus, mo-
 nemur pluribus causis. Cum itaque divini regi-
 minis, pertæsus populus Judaicus duriori servitio
 se tradere mallet, nec sine exemplo amentia, præoptaret li-
 beratam servitio Regio mutare, ut dicit Sulp. levervs, po-
 stularunt seniores & principes gentis, ut regem illis
 Samuel præficeret. Ducentes sua argumenta, ab in-
 gravescente Samuelis ætate, a filiorum ejus dissimili-
 bus moribus, ab exemplo vicinarum gentium, ab in-
 stante Ammonitici belli periculo, cui unius imperio o-
 ptime prospici posse putant, I. Sam. 8: 5. 12. Hanc rem
 detulit divinus Samuel ad DEum, responsumque ab il-
 lo, utut indignabundo fert, ut vocem illorum audiret.
 Verum queritur non sine causa: *Annon mandatum Re-
 gis Eligendi habuerint a Deo?* Viri Clarissimi, Petrus Cu-
 næus & Wilhelmus Schickardus altique existimant,
 omnino mandatum esse Israelitis a Deo, ut regem si-
 bi eligerent, ubi in Palæstinam penetraffissent. Videntur
 autem, ut putat Celeberrimus Dn. Hermannus Conrin-

gius de rep. Heb. p. m. 141. ut ita docerent, auctoritatem observare voluisse plerorumque Rabbinorum,
 „qui id pene unanimi consensu docent, praeunte *Gemara Sanhedrin* Cap. 2. part. 6. Præcipue vera Mosis
 Maimonidæ. Sed Gemaræ Talmudicæ & Mosi quidem illi, haud injuria opponi possunt ex judaica gente nonnulli, quorum verba itidem producit Schickardus. Accedet vero illis & Iacobus Abravanel inter recentiores judæorum Magistros primæ dignitatis: ceu ejus sententiam refert Menasles Ben Israei concil: pag. 225. initio quæstionis 6. Ipse quoque Menasles pag. 227. fatetur Abravanelis sententiam satis esse consentaneam verbis Scripturæ. Ceterum sicut illos quos diximus Judæos, ita multo minus Christianum quemquam, sive Talmud, sive Talmudicos adorantium Rabbinorum auctoritas hic movere debet. Et vero (pergit) Gemara illa Sanhedrin, liquido ostendit, unum eorum Magistrorum, Rabbi scilicet, Josen, ut ostenderet primum Dei præceptum fuisse de rege constituendo in Ex. xvii. 16. exponendo plane delirasse. Tantum igitur verba Mosis, non Talmudici Rabini, etsi illum ex suis plurimos post se relinquere, cum Conringio facile credimus: sed vetustissimi omnium sacrorum scriptorum, & divinissimi vatis expendamus verba; Deut. 17: 14, 15. אלהֹךְ נָתַן לְךָ וּרְשָׁתָה וִישְׁבָתָה בְּבֵית וְאֶמְרָתָךְ אֲשִׁימָתָךְ עַל מֶלֶךְ כָּל־הָעוֹם אֲשֶׁר כְּבוֹדְךָ: שׁוּם תְּשִׁוָּם עַל מֶלֶךְ אֲשֶׁר וּבָחָר וְהַזֵּד אֲלֹהִים מִקְדָּשׁ אֲחֵזָה חַטָּאת עַל־מֶלֶךְ לֹא תִּכְלֶن תְּהִנֵּת עַל־מֶלֶךְ אֲשֶׁר נִכְרָא אֲשֶׁר Cum ingressus fueris terram illam quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, & habita-

veris in illa & dixeris, constituam super me Regem, sicut ha-
bent omnes per circuitum gentes; constitues eum quem Do-
minus Deus tuus elegit, de numero fratrum tuorum. Non
poteris alterius gentis virum Regem facere, qui non sit
frater tuus &c. Ex hisce verbis Existimat Schickardus
mandatum esse, quod non arbitrarium sit, sed maxime seriū ideoq;
verbi reduplicatione inculcatum hoc modo: □ψ
□ψn h. e. ponendo pones sc. super te Regem. Cunæus etiam
rationem gentis plausibilem ratus videtur, ipsiq; ergo
Deo non improbatam: Per multi mirati sunt, inquit Lib.
1. c. 14. p. m. 125. de Rep. H. cur indigne tulerit Deus sum-
mam rei a Samuele ad regem aliquem transferri, siquidem il-
lud & probaberat antea, & futurum pro indele dixerat sacri
populi. Verum ut supra jam innuimus, videntur sum-
mi hi viri scriptis Talmudicis & Rabinorum Auctori-
tati nimium tribuisse: nam & nos agnoscimus heic man-
datum, sed alio longe modo. Videndum enim est man-
datum illud non nisi ex hypothesi esse editum. Nec
vero absolute mandat Deus per Molen, ut Regem si-
bi proprie dictum constituant Hebrai: sed potius il-
los τὰ παρούσια σέργειν, quod in vulgaribus Politiis non
vulgaris est virtus. Audiamus hac de re Flavium qui
Molen hunc in modum loquentem introducit: μή λαθεῖ,
ποδὸς ὑπᾶς ἄλλης πολιτείας, οὐδὲ τάῦτη σέργοντο, τὰς νο-
μας ἔχοντες διοικότας, καὶ οὐτὲ εκατα περιττοτες. ἀρκεῖ δοξ
ἡ οἰκεῖ ἀγενής εἶναι: Non capiet vos desiderium alterius for-
ma regiminis, sed illa contenti estote (scil. Aristocratica) ha-
bentes leges vobis imperantium & illas exacte exequentes;
sufficit enim Deum esse vobis praesidem. Et porro: Βασιλέ-
ως δ' εἰ γενέσθε ἐγώς ἴμιν, ἐσώ μὲν εἰς οὐδέποτε: At-
tamen si regis vos cupido ceperit, nemo sit nisi vestri generis

& sanguinis, b. e. inquitinus vel gentilis. Debebant itaque
 Israelitæ regem præsenrem statum. Si tamen ipsos Re-
 gis, qualem ceteræ habebant gentes incederet cupido
 (quod aliquando fore sine dubio prævidebat) permit-
 tit auctoritate DEi Moses ut regem constituant ἄμοφου-
 λον, quemque præterea DEus ipse commonstrarerit.
 Itaque expendenti Divini Scriptoris verba, non po-
 test non sensus esse manifestissimus: *Mirum autem ut*
 scite omnino hæc pluribus persequitur Conringius de
 rep. Heb. p. m. 143. *Si mandatum de constituendo Rege*
absolutum Hebrais fuisse datum, quod illud exequi aliquot
seculis ausi fuerint negligere; quodque Gideon vir sapiens &
conscius legis divinae, cum ipse ex gente sua regnum proprie-
dictum addicere quidam vellent, conditionem illam accipere re-
cusaverit, suosque ut Febovam amplius agnoscere regem com-
monuerit, Deo nunquam improbante. Non porro reduplicatio
verbi quam urget Schickardus vim suam amittit, si ita quo-
modo ipse, verba Mosis non intelligas. Illius nimirum ge-
nuna vis hæc est: ut ne ἄμοφουλον constituerent Regem,
si regem constituere vellent: Non illa quam Schickardus
existimat verbis inesse, ut nimirum Regem omnino
constituant. Eleganter in hanc rem differit; etiam quod ex
occasione dico, accurratissimus Vindex sanorum sentium
scripturæ S. D. D. Pruknerus in Com. suo I. Sam. 8:
v. 7. quod leclicet (1) non improbaverit Dominus absolute,
quod populus Israëliticus Magistratum aliquem politicum ha-
beret vel peteret; cum aliquot seculis Magistratus Officio, Ju-
dices a Deo excitati & constituti in illo populo fuerint functi
sed quod formam regiminis a Deo institutam, proprio arbi-
trio mutaret, & ad imitationem Gentilium Regem aliquem
Monarcham sibi constitui importune postularet v. 5. Nec quod
 (2) immo

(2) Improbata sit Deo, per se, postulatio Regis, multo minus status regius, cum Gen. 17: 6. benedictionis loco promittebatur Abrahe, fore ut Reges ex ipso nascerentur, cumque multi pii Reges in populo Iudaico, ut David, Josaphat, Hiskias, Josias & alii Deo placuerint, sed ex accidenti, quia procedebat ex principio pessimo, & coniuncta erat cum pessimis accidentibus, qualia, sunt, nancylia gentilium v. 20. fastidium ordinationis divine. v. 7. fiducia in regiam potestatem, v. 20. Quod vero (3) Saulis imperium habeat Deum Auctorem, tum quia diserte Samueli mandatur ut Saulem ungat in Regem Iudaicorum populi 1. Sam. 8: 22. cap. 9: 17. tum quia expressè dicit 1. Sam. 5: v. 16. se ideo Saulem eligere in Regem, quia respexerit populum suum.

§. 3.

Aspirante itaq; Numine, Saul filius Kis, Abielis Nepos 1. Sam. 9: 1, qui & Ner vocatur, 1. Par. 9: 33. e tribu Benjamin, circiter 45 vel 50 annos natus, & corporis proceritate insignis, ad regiam dignitatem electus est, 1. Sam. 10: 23. Hunc exceptit David, e tribu Juda natus, qui a puero pecudum custodiæ addictus, ursum adolescentulus & leonem admirabilis audacia confecit. Hic initio solius tribus Judæ, inde ceterarū omnium Rex factus. Ter autem inunctum fuisse ex historia sacra edocemur. Primum in ædibus patris 1. Sam. 13: 13, Deinde Hebrone post funestam Saulis mortem 2. Sam. 11: 3, 4. Tertio extincto Jeboschetho filio Saulis. Quæ ratio fuerit tories iteratae unctionis, non convenientiunt auctores. Quidam Rabinorū dicunt repetitam unctionem, ut esset fundamentum, Radix

Radix & principium omnium ejus posterorum, sive faustum omen perennaturi in posteris Regni. Potius erediderim per intervalla, aucti imperii rationem & conditionem id postulas: nam post primam unctionem per sylvas profugus. post secundam, Iesbolchero filio regis renitente dubius. post tertiam vero *interfecto Iesbo/chetho* communiani Israëlitarum consensu, de regni possessione certus existit; Hic finitos omnes domuit, pacatumq; filio Salomoni reliquit regnum, cum regnasset annos 40. Davide adhuc vivente, accessit filius Salomo ad habendas imperii, annuente patre, ut constat 1. Reg. 1: v. 32. Hic fuit omnium regum, qui in Oriente unquam existit, etiam dicitur & excellensissimus. Splendidissimum Iehovæ templum condidit Hierosolymis, quod ipse sacrificio & Oratione consecravit. Alia præterea monumenta & mimenta exstruxit. Omnes sui temporis Reges longe superavit. Sed in luxum & vitia lapsus, cum uxores idololatricas sibi multiplicasset, idolis eorum libavit & a Deo descivit: quapropter distractio & dilaceratio regni, ei denunciata, & Regni dominusq; tranquillitas est turbata. Senex tamen resipuisse pie creditur. Sub his tribus Regibus floruit Monarchia Hebræorum integra atq; incorrupta; post vero sub Rehabeamo in ipsis Comitiis Sicherni habitis, distracta fuit, decem tribubus rebellibus existentibus ipsi Rehabeamo. Quia itaq; regnum Iraëliticum hac ratione scisum est, ut tribus x. quas *Iraëlitæ* cum scriptura vocare siveimus, Jeroboamum sequuntur sint; duæ vero reliquæ, soli scilicet Judææ & Benjamitæ cum Levitis 2. Paral. ii: 13. qui jam *Judei* dicuntur, Rehabeamum & iusq; posteros Reges agnoverint; nos missis novis Iraëlis

elis Regibus, qui universi Deo displicerunt, Regum tantum Judæ, ex Davide & Salomone oriundorum numerum una serie recentebimus. Sunt autem sequentes: Rehabeam, Abia, Assa, Josaphat, Jehoram, Ochozias, Athalia, Joas, Amazias, Azarias seu Ozias, Jehotham, Achaz, Ezechias, Manasse, Ammon, Josias, Joachaz, Eliakim seu Jojakim, Jechonias, Zedechias. Horum omnium fata & res gestas qui cognoscere cupit, adeat libros Reg. & Parall.

§. 4.

Difficilis sane quæstio heic oriri solet: *An per statutus Regii introductionem, Theocracia in gente Hebreæ prorupsit sublata?* Viri certe non pauci sunt qui affirmare non dubitant, utpote Clariss: Johannes Spencerus de Leg. Heb. ritual Lib. I. diss. de Theocrat: Jud. Cap. 4. sect. 2. p. 324. Sed durius illud dicendum videtur. Primo enim nihil obstat, quo minus Regia dignitas, cum Theocracia consistere queat, si talis rex intelligatur, qui a Deo ipso constituantur, quive unice a nutu & voluntate Numinis dependeat. Deinde ut loquitur Ampl. Johannes Franciscus Buddeus Hist. Eccl. Tom. 2. sect. 3. Period. 2. §. 25. Pag. 267. Res ipsa docet, quod Saul, primus Rex Israëlitarum ex voluntate Numinis sit constitutus: eumque is Dei, seu supremi Regis voluntati morem non gereret, ab eodem est repudiatus. Quod Theocratici regiminis luculentissimum est documentum. Tum David ab ipso Deo electus est, qui in omnibus ita se gessit, ut sine nutu & voluntate Dei, nihil suscipereet, quem & in rebus gravioris momenti semper per Urim & Thummim consuluit

luit. Salomo itidem ex omnibus Davidis filiis electus est, qui patri in Regno succederet. Et licet deinceps successio quadam hereditaria obtineret, id tamen iterum ex voluntate & consensu Dei factum, qui Davidi continuam posteriorum ejus successionem promisit. Cumq; Salomo ipse & reliqui Reges subinde, a recto tramite deflecterent, Deus tamen eos per Prophetas redarguendo & graviter puniendo, se supremum adhuc populi regem esse ostendit. Nec obstat quod Deus ad Samuelem dixit: Neg, enim te, sed me abjecerunt, ne regnum super illos: hinc namq; illud intelligitur, quod populus Iraëliticus intempestive, nec eo quo decebat modo, Regem petendo peccaverit; non autem quod Deus amplius Rex illorum esse noluerit. Ceterum si quis vel maxime sub Regibus Theocratiam imminutam esse dicere velit: hoc tamen certum est, semper Theocratici aliquid remansisse, quod post captivitatem adhuc Babyloniam, ex summa potestate illa summorum Sacerdotum apparet; ut loquitur supra laud. Buddeus. Expendamus quæ inter Alexandrum Magnum & Jaddum Pontificem facta sunt. Potuit ne Deus luculentiori arguento, atqui tunc, asserere, Israeliticum populum sibi, ut Regi, cordi ac curæ esse? Quando Herodes Idumæus, totus a Romanorum notu pendens, Thronum Israelis invasit; imo quando aperta Regni Dei ejuratio a primoribus populi auditæ est, clamantibus: nullum se Regem agnoscere nisi Cesarem? Ioh. 19: v. 15. an sic tamen suo cessit Throno ipse Deus? annon eo ulq; Hierosolyma mansit civitas magni Regis, dum civitatem funditus everti, & hoc facto, hujus gentis finem regiminis & Theocratici & civilis, nunquam in æternum restaurandi,

randi, imponere coactus eslet. *Adijs Herm. Witsii Eleg.*
Orat. de Theocracia Israël: Godvini Moſe & Aroni prefixam.

§. 5.

VErum durante tamen hoc statu Regio, quousque jura maiestatis regum possint extendi quæras porro, ad amissim verborum que a Samuele I. 8. v. II. jussu Dei ita expressa regis sunt: וְאֶמְלָךְ עַל־כָּל־עָם אֲרֵת בְּנֵיכֶם יְקֹח וְשִׁבְט לְךָ בְּמִרְכָּבָה וְמִפְּרָשָׂיו וְרוּעָנוּ לְפָנֵי מִרְכָּבְךָ: 12. v. וְשִׁירְיוּ חֲמִשִּׁים וְלְחִרְשׁ חֲרוֹשׁוּ וְלִקְצָרְיוּ קָצִירׁוּ וְלִעְשָׂרָתּוּ כָּלִי מַלְחָמָתוֹ וְכָלִי וְכָטָב: 13. v. וְאֶת בְּנֵתְכֶם יְקֹח לְרָקְחוֹת וְלְטָבְחוֹת וְלְאָפָורֹת: 14. v. וְאֶת שְׂדוֹתְכֶם וְאֶת כּוֹטְבָיכֶם וְזִוְּנָיכֶם הַטוֹּבִים יְקֹח וְנַתֵּן לְעַבְדוֹ: 15. v. וְזָרְעָיכֶם וְכַרְמָיכֶם וְעַשְׂרָה וְגַתָּה לְסִירָהוּ וְלְעַבְדָּוּ: 16. v. וְאֶת עַמְּרִיכֶם וְאֶת שְׁפָחוֹתְכֶם וְאֶת כְּרוֹוֹתְכֶם הַטוֹּבִים יְאַתָּה הַמְּרוֹכָם יְקֹח רַעַשָּׁה לְמִלְאָכָתוֹ: 17. v. אַנְכֶם יְعַשֶּׂר וְאַתֶּם תְּהֻווּ לְעַכְרוֹם: 18. v. וְעַקְתָּם בְּיוֹם הַזֹּהָב כְּחֹותָם לְכֶם וְלֹא־זָעַנָּתָה וְחוֹתָה אֶתְכֶם בְּיוֹם הַחְתָּאָה: Varias heic omnino variantium sententias inter Doctos cernere est; imprimitis, quid per Jus Regis seu imperii indigitetur. Quidam per vocem intelligunt *morem seu Consuetudinem* etiam iniquam; quidam jus legitimum & divinitus concessum. Priori sententiae Wolfgang. Franzius de interpr. script. S. orac. 126. imo etiam Bonaventura Cornelius Bertramus, de rep. Heb. ut ut aliquid quanto obscurius Cap. 10. p. 110. aliiq; favent. Posteriorem tuentur Gvilielm. Schickard: de J. Reg. p. 64. Abr. Calovius ad 1. Sam. 8: v. 10, n. Joh. Gerhardus loc:

loc; de Magist. c. 125. Augustus Pfeifferus dub. Vexat. cent. 1. loc. 69. p. 368. & alii. Hugo Grotius medium quan-
dam viam quodammodo elegit, dum illis quidem adsti-
pulatur, qui de conservudine hic sermonem esse putant;
interim non nudum factum hic indicari contendit,
sed factum, quod effectum aliquem juris habeat; verba
ejus hæc sunt: *Quod apud Samuelem est de jure Re-
gis, omnino recte insufficiens appetit, nec de jure vero intelligen-
dum, id est, de facultate honeste & juste aliquid agendi, (longe
enim alia vivendi ratio præscribitur Regi in ea parte le-
gis, quæ est de officio Regis) neg, nudum factum
indicari; nihil enim esset in eo eximium, cum injurias facere
etiam privati privatis soleant: sed factum quod effectum aliquem
juris habeat, id est, non resistendi obligationem.* Ideo additur,
*populum pressum istie injuriis, Dei opem imploraturum, quia
scilicet humana remedia nulla existarent.* Sic ergo hoc jus voca-
tur, quomodo *Pretor jus reddere dicitur, etiam cum inique
decernet.* de. 3 B. & P. lib. 1. cap. 4. p. m. 81. Neuriquam
vero hinc colligere est ut bene obseruat Conringius in de
rep. Heb. p. m. 144. *Quasi omnibus sine discrimine Regibus,*
id agere fas sit, quod hic juris regii esse, dictum a Samuele est.
Tantum enim hic sermo fuit Prophetæ de jure Regum apud vicinos
Hebreis populos: quibus nempe dominatum fatus asperum in ius
exercere, juris fuit Regii consuetudinarii. Hinc apposite etiam
argumentatur supra laudatus Prüknerus ad h. l. Non lo-
quitur Samuel de vero ac legitimo jure, quale illud ex Dei,
institutione Regi competit, Deut. XVII. 16. seq. sed de usurpato,
quod sibi Rex per vim arrogare solet. *Vult enim Samuel popu-
lum deterrere, ne Regem sibi poscat, & ideo recusat ea, que Rex*
per tyrannidem plerumq; usurpat. Unde vox **DEUS** etiam de ea
quod injustissimum est, sed pro justo habetur, usurpatur, ut jus
adul-

adulteratum Ez. 16: 38. ita & hic jus Regis appellatur, quidquid regi justum videbitur et si in se sit injustum; ut erat possessio vinea Nabothica ab Achabo facta 1. Reg 21: 16 Quo etiam pertinent, quae habet doctiss: Joh. Fratii, Buddeus Hist. Eccl. p. m. 264. Non ita hoc accipiendum, ac si ipse status Regius Deo displaceat, cum status ille, si modo aliunde vitium non accesserit, nihil quod legi divine repugnet contineat; id est, extram gentium quarundam indoli ita attemperatus sit, ut commode nisi sub Regibus, vivere nequeant; sed Israëlite in eo peccarunt, quod tempore alieno, & modo quo non decebat, Regem poscerent; id est ea ratione, ut quodammodo ipsum Dei in hac gente regimen rejicere viderentur. Et rursus, pag. 265. Iniqua licet esset populi Hebrei Regem postulantis petitio, Deus tamen patientia & longanimitatis sue edere specimen voluit, adeoq; in eam consensit. Poteratq; id salta justitia & sanctitate sua facere, eo quod Regis constitutio in se spectata nihil vitii habeat; Israëlite autem in modo saltam petendi Regem peccaverant, cujus peccati differre poterat, donec aut resipiscerent, aut accidente impenitentia gravius puniri possent, benignitati, pariter ac justicie divina conveniens erat. Interim tamen per Samuelem illis ostendebat, que incommoda Regia dignitas secum veberet, que, si accidente aliquando quodam abusu, illis graviora quam ferre possent, videbantur, cum frustra Numinis auxilium eos imploratueros. Et adhuc quo ad vocem IUDIC. Ut autem, & qua mea sit sententia hac de re, paucis exponam, primo quidem, eum concessum ab omnibus, suppono vocem IUDIC. non minus morem seu consuetudinem, vita rationem & institutum, quam legem seu judicium significare. Et hanc quidem significationem huic loco convenire, vel ex scopo quem Deus habuit, cur jus hoc regium, populo Israëlico proponeret, manifestum est; qui erat ostendere illis incommoda, que status regius ecum ve-

bere solet. Interim talem morem seu consuetudinem indicare
puto, que in se spectata vitio careat, et si haud raro culpa ho-
minum, abusus aliquis atque excessus accedit. Et tandem
p. 206. Ita intelligenda sunt, que speciatim, de jure boce
regio commemorantur, quorum plerique ita comparata sunt,
ut recte a regibus siant; V. G. quod ex subditis milites con-
seribat; ex iisdem quosdam curribus, quosdam equis praefici-
at Ec. Nonnulla autem ita comparata sunt, ut excessum a-
liquem cum regia dignitate haud raro conjunctum indicent;
v. g. quod subditorum agros, vineas, oliveta optima accipiet
& servis dabit; taliaque sit designaturus, que necessitatem im-
plorandi auxilium Numinis illis sint impeditura. Hec ille. Ab-
bericus vero Gentilis disp. I. de potestate Regis absoluta
p. 18. quod fide adduco Celeb. Pfeiff. in dub. Vex.
p. m. 367 ait; Proponi hic jus parendi, non regnandi, seu
non quid Regi facere ex prescripto, sed quid populo, ingruente
necessitate admittere obedienter conveniat, cui sententiæ etiam
assurgere D. König. vind. p. 681. dicit.

§. 6.

UT hæc plenius explicitur, necesse est jam attendamus,
quænam species regnum hic obtinuerit? Aristoteles
lib. 3. Polit. cap. xi. p. m. 358. fereduas esse regni spe-
cies obseruat: unam quando unus omnium; alteram quando
paucissimorum habet potestatem Rex. Illam παῦβασιςιν;
hanc λακωνικὴν vocat. Illam summum, hanc infimum es-
se regnum gradum innuit; inter quas sint quædam in-
termidiæ species. τὰς γὰρ ἀλλας, inquit, αἱ πολλαὶ μεταξὺ^{τέταν} εἰσὶ Altarum plerique inter has media sunt. Ad has
si examinemus species Israëlitarum Regnum, animad-

VER.

verterimus forte, Hebræum a Laconico longissime ab-
fuisse; neque tamen veram fuisse παρθενικαν, posita
imprimis Theocratia supra indigitata; ad regni tamen
proprie dicti modum administratum. Patebit id, si ju-
ra Majestatis expenderimus quomodo se illa Regum æ-
vo habuerint. Sunt autem Majestatis jura nobis hodie,
cum alia, tum præcipue ipsum ιο κύρον. Cujus quasi
partes sunt: 1. Potestas ferendarum & abrogandarum legum.
2. Ius belli & pacis. 3. Potestas Magistratum & Judiciorum in-
situendorum, facultas judicandi tam in publicis quam privatis
reipublicæ negotiis. Hæc omnia penes Reges Hebræos fuisse
se probat Cir. Conring. inde rep. Hebr. Nos potissima
ex illo excerptemus. Ut autem de potestate ferendarum
& abrogandarum legum primo (a) dicamus, dubium fate-
or cui videri possit, an ea penes Reges Hebræorum fu-
erit. Ex V. sive Mosis lib. cap. 17, intelligimus, qui He-
bræorum Rex aliquando futurus esset, illum juberi divinas
leges evolvere, & servare omnia, quæ ab ipso DEo san-
cta antea fuerant. Debuerunt itaq; divina scita in Hebræ-
orum Rep. manere rata, etiam tum cum Reges impera-
rent, neq; Regibus illa immunitare aut abrogare fuit integrum.
Sci. icet omnia legis Mosaicæ præcepta vim & con-
ditionem quadantenus habuerunt juris Naturalis: Itaq;
haec tenus sive non fuit legislatoria potestas arbitrii regum.
Ceterum multa non fuerunt liquidi juris, neq; omnia le-
gibus divinis fuere definita: illa itaq; constituere & abro-
gare, in mera fuit regia facultate, adeo q; in his ἡρεμο-
σίαι Regi fuit integra. Hoc perspicere est ex multis
constitutionibus Davidis & Salomonis, aliorumq; etiam
optimorum Regum: iisq; non profanis duntaxat, sed
etiam sacris. Certe David plurima hujus etiam generis
ordi-

ordinavit: ne quis incuset, ab improbis Regibus multa esse facta secus quam licebat. Quod si porro & consti-
tueret quidquam rex adverius legem illam divinam, ta-
men iis qui ipsi parebant, facti sui rationem reddere non
tenebantur. Vel ut si quando injuste jus diceret, ii qui
parebant, sententiam latam juste detrectare non poterant,
sed obligati erant ad non resistendum. Quod deinde (b) ad
belli gerendi potestatem attinet, penes Reges Hebreorum utiq; illa
fuit. De Saulo 1. Reg. Cap. 14. memoratur: Saul confir-
mato regno, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos e-
jus, contra Moab & filios Ammon & Edom & Reges Soba & Phi-
listaeos & quocunq; se verteret superabat. De Davide itidem
narratur, quod expeditionem fulceperit cum armata ma-
nu & prædas egerit de variis hostibus. Ita & de potesta-
te eligendi conscribendiq; militem dubitari non potest,
quin penes Reges ea tuerit. Neq; vero legas Reges in
bellum protecturos, semper ante Deum consuluisse, li-
ceret nec ne: utiq; quod id neglexissent, nulquam a Pro-
phetis reprehenduntur. Fieri autem alterutrum debuisset,
si etiam tunc, ut ante, bellum indicere nisi jussu divino fu-
isset nefas. Magistratus porro (c) & judicia pro arbitrio instituerunt
Reges Hebreorum. Sane magistratus singularū civitatum man-
sere etiam Regum ævo: at qua ratione & ex quibus insti-
tui deberent penes reges arbitrium fuit. Conf. Bon. Corn.
Bertr. de Rep. H. pluribus hæc explicantem. De iota-
phato 2. Paral. 19. memoratur, constituisse ipsum judices
terre in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca. I-
taq; Judicum & judiciorum deniq; constituendorum po-
tentiam penes Reges fuisse palam est. Etenim pluri-
ma reperiuntur in sacris Regum cum Saulis & Davidi-

cæ posteritatis, tum Jeroboami ejusque successorum historiis, exempla judiciorum, quamvis capitalium, ab ipsiis met Regibus exercitorum.

§. 7.

His positis, patet jam etiam quomodo Moses Rex vocetur Deut. 33: v. 5. scilicet non proprie, utue versio vulgata id videatur indigitare: *Erat Moses apud rectissimum Rex.* Quam Osiander ita corrigeret tentat: *Et fuit Moses in recto Rex, in colligendis capitibus populi in unum tribibus Israel;* sed impropter; quare etiam hæc Leonis judæ versio rem propius explicat: *Et fuit exquilibris Rex:* quam sententiam ita exprimit Doctiss. Vatablus: *fuit autem in Israel tanquam Rex.* Vel instar Proregis. Verus utique Rex haud fuit, neque unquam se pro vero Rege gessit, qui se afflictissimum mortaliū queribundus profitetur Num. 11. & 12. Hanc sententiam uthore bonam confirmat Lutheri nostri versio: *Er verwaltet das amt eines Königes.* Quem lecutus noster interpres: *Han war i Konunga wälde.* Eadem est ratio judicum, qui itidem non temel Reges videntur appellati: ceu haud inepte forte collegeris ex jud. 17: v. 6. 18: v. 1. 19: v. 1. ex quibus locis Josephum suos puriages exstruxisse est verisimile. Auctoritas quippe horum scilicet Judicium, præcipua fuit; ut judiciorum, consiliorum & bellorum tantum principatum tenerent; omnia enim bella qua Judicum tempore contigerant, ipsi judices, tanquam summi Duces administrarunt. Ius vero vite & necis, liberum band quamquam habuerunt; quia in omnibus legem senti sunt, alioquin Reges ipsos potestate aquassent, qui postea consecuti sunt, ut loquitur Sigonius de rep. Heb. lib. 7. p. m. 341. ànq[ue] itaque & minus proprie hic omnino titulus illis etiam competit: Nam teste Clariss. Corin-

ringio de rep. H. p. m. 137. Nullus judicium ultra exercuit summe potestatis jura, sed fuert non nisi Magistratus Israëlitarum & Ministri, Maximi Monarcha ipsius Dei. Non enim ullus eorum legem promulgavit. Bella etiam ab iis gesta sunt iussu Dei: præ sepe etiam aperte tulerunt, non propria se auctoritate, populo præesse; sed cœi illi solent qui magistratu funguntur, a summo Magistratu constituti. Perspicue id probat Gideonis Historia, qui Dominum sibi & posteritati suæ a populo Oblatum recutasse legitur jud. ix. de quo supra.

§. 8.

Foret hic opportunissimus locus differendi de vexatisimma quæstione: *An rex Iudeorum potestatem synedrii habuerit, vel synedrio illi subjectus fuerit?* Rabbini Talmudici, Mischna & Gemara, imo ipse Flavius Josephus, potestatem regiam, uti tolent, mirum in modum detorquent. Verba Flavii sunt: ὁ θεοπάτως δὲ τοῖς μὲν ρόμαιοις καὶ τῷ θεῷ τὰ πλείστα τέ Φρούριον, ὁ θεοπάτως δὲ μηδὲ δύναται τέ αὐτοὺς καὶ τῆς τάρη γεγονότας τὸν γράμμαν. Is scilicet Rex, pluris legibus & Deo tribuat, quam sue prudentie: nihil vero agat preter sententiam summi Sacerdotis & Senatorum. lib. 4. Ant. cap. 7. sed quoniam horum argumenta enumerasse, est refutasse, hæc omittimus; contenti tantummodo verbis Conringianis p. 161. de rep. Heb. Quæcumque jaclant Talmudici Magistri, & eorum bac in parte sectatores, de amplius illius synedratis potestatis, a Mole usque continuata perpetuitate, si quod res est, licet salva doctissimerum aliquot virorum auctoritate, profiteri, fabulosa sunt universa. Verum quippe est quod habetur Eccles. cap. 8. v. 4. בְּאַשְׁר רַבְּרַכְתִּי מֶלֶךְ שָׁלֹמָן וְיַעֲמֵד לוֹ מִתְהֻשָּׁבָּה hoc est: Cum verbum Regis sit imperium, quis dixerit ei, quid facis. Quid etiam indicat Maimonides Tit; Sanhedrin, cap. 2. §. 4. & 5.

אֵן מושבך מלך וישראל בסחרון שאטיך להלך עליו ולפנות
את בבבו אַכְלָמִישׁ בְּבִין כֵּן גְּדוֹלָה אֲתָּה חֹזֵה רָאֵי :
id est: Non adscicatur Rex Iraelis in synedri-
um, quoniam non permittitur ab eo dissentire aut contradice-
re verbo ejus, sed tantum adsciscunt Pontificem Maximum, si
modo sapientia ejus dignitati non sit impar.

§. 9

Taque qua ratione Reges Judæorum ad solium sunt
elevati consideremus. Vulgo existimatur to-
tum illud, in hac gente Regis eligendi, ha-
buisse sele omni ex parte, ad eum modum
qui in aliis populis obtinguit, scilicet, ut Rex fuerit vel
electione populari constitutus, vel ad eam dignitatem, hæ-
reditario jure pervenerit: Quemadmodum defuncto
Saulo, filius ejus Ischboseth, habendas Imperii accepe-
rit. Sed hoc non videtur ἀνλῶς esse consentaneum;
nam, saltem interdum, ad regum constitutionem fuisse
necessarium contentum ipsius DEI, apertum est. Pri-
mum etenim Regem non licuisse populo sibi pro ar-
bitrio sumere manifestum est ex ipso lege divina Deut.
17: 15. Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegit, de
numero fratrum tuorum. Hinc & populus Regem a Sa-
muele petiit non vero suo arbitrio constituit. Samuel
etiam Saulem ungens, liquido hæc ostendit 1. Sam. 10: v. 1.
dicens: כִּי־מִשְׁחָךְ וְהַוְתָּעַל מִחְלָתוֹ לְגַזְעָךְ
vides quod unixerit te Jehovah principem hereditatis sue. Item
Videtis quem eligerit Dominus. Eodem modo electus fuit
David & Salomo speciali Dei revelatione. Quod
aperte fatetur David 1. Paral: 29: 4. & 5.
Hinc est quod etiam Rex in Scriptura S. voce-
tur

tur משיח יהוָה seu unctus Jehovæ. Certo tamen idem observatum esse semper asseri non potest; voluisse quidem Deum jam ante exortos reges regnum hæreditarium esse debere, ut dicit Conringius, indicant verba Deut. 17: v. 20. לְמַעַן יִאֲרוּךְ יְמִינֵיכֶם וְשָׁרָחָתֶךָ : וַיֹּשֶׁב עַל־מְמִלְכַּתְּ חִזְקִיָּה וּבְנָיו בְּקָרְבֵן יְשָׁרָחָת ut prolonger dies suos in regno suo, ille & filii ejus in medio Israe. Non negare tamen possumus populum Ebræum interdu Deo inconsulto, imo contra Dei institutum, nonnullis regiam dignitatem contulisse: utrū ex eo non efficiatur, idem fuisse Popularis juris. Hæc aliaque, pluribus explicare possemus: sed multas ob causas nobis prolixiores esse non licet.

Soli itaque DEO O. M. Gloria!

